

ducais aut Cerinthianis aut aliis a fide alienis, inter et contra Christianos hanc hæresin spargentibus; et sic textus rem nostram non attingit: vel de quibusdam fidelium Corinthiorum; hi vero cum aut dubitantes, aut errantes, aut etiam hæretici, sed occulti, esse poterant; nec inde contrarium thesi infertur. *Ad 2. R. Hæc.* nomine peccatorum minime designasse hæreticos, sed eodem usum argumento ad hominem contra Luciferianos, quo contra Donatistas usum esse Augustinum supra diximus. *Ad 3. D. Aug.* docet partem Donati esse conjunctam cum Ecclesia in sacramentorum et rituum quorundam usu; generare item filios ipsam tanquam ancillam veræ Ecclesiæ velut matrifamilias, C. Esse conjunctam vera membrorum additione et unione; item generare filios sibi tanquam matrifamilias et sponsæ Christi, N. seipsum S. Doctor sic exponit:

El quidem dum quoad primum ibid. c. 10. ait: *Quasi vero ex hoc generet, unde separata est; et non ex hoc, unde conjuncta est: sed adjuncta est in uno baptisate.* Item in enar. Ps. 54. *Quare dicit: quia in multis erant mecum? baptismum habebamus utrique; et in eo erant mecum: Evangelium utrique legebamus; erant in eo mecum: Paschæ solemnitate frequentabamus; erant ibi mecum. In multis mecum: in paucis non mecum: sed in his paucis, in quibus non erant mecum; non eis prosunt multa, in quibus mecum.* Quoad secundum autem L. 1. de bapt. c. 15. scribit: *Ecclesia quippe omnes per baptismum parit, sive apud se, id est, ex utero suo; sive extra se, de semine viri sui; sive de se, sive de ancilla.* Quod cum declarasset exemplis natorum ex ancillis Abrahamæ et Jacob, subjungit: *sicut apud istos Ecclesiæ jure, quod est in baptismo, nascuntur, quicumque nascuntur: sed si concordant cum fratribus, per unitatem pacis ad terram veniunt promissionis, non de materno utero rursus ejiciendi, sed in paterno semine agnoscendi; si autem in discordia perseverant, ad Ismaelis funiculum pertinent.*

Inst. 2. Ratio idem demonstrat. Nam 1. Ecclesia juxta 1. ad Cor. 3. v. 17. jus tantum habet in eos, qui sunt intus: sed Ecclesia jus habet in hæreticos, utpote quos ligat et punit: ergo. 2. Hæretici per baptismum ingrediuntur in Ecclesiam, et per characterem uniuntur cum Christo: ergo sunt membra Ecclesiæ. 3. Nisi Christiani omnes, saltem in fundamentalibus convenientes, pertineant ad Ecclesiam, hæc non erit ubique diffusa, quæ tamen conditio una est ex notis Ecclesiæ: ergo.

R. N. Ass. Ad ejus prob. 1. *D. M.* Ecclesia potestatem habet tantum in eos, qui sunt intus sive actu sive debito, C. solum actu, N. Sicut ovis exerrans ad ovile, servus fugitivus ad dominum, et transfuga ad ducem pertinet, non quidem actu sed debito; sic et post baptismum desciscens a fide aut hæreticus ad Ecclesiam spectat. Cæterum Apostolus de iis, qui ita foris sunt, ut nunquam fuerint intus, loquitur. *Ad 2. T. A. N. Cons.* Imprimis enim ad membrum Ecclesiæ non sufficit fuisse, sed requiritur esse in Ecclesia. Deinde character non est unio ipsa, sed signum duntaxat unionis, sive præsentis sive præteritæ; quod ab alieno et extraneo etiam ferri potest, ut in damnatis manifestum est. *Ad 3. N. seq.* Sine admissis ad sui constitutionem hæreticis et schismaticis manet Ecclesia moraliter ubique diffusa, quantum ad veræ Ecclesiæ notam requiritur; cum et inter hæreticos ac schismaticos Catholici non desint, et regenerati ab iis per baptismum, antequam hæresi aut schismati consensum præbeant, pertineant ad Ecclesiam, de quo infra.

Inst. 3. Auctoritas Scripturæ et Patrum stat pro schismaticis et excommunicatis ad Ecclesiam accensendis. Nam 1º PAULUS in 1. ad Cor. 11. v. 18. notat schismata fidelium convenientium in Ecclesia. 2º BASIL. in ep. ad Amphil. scribit: *Visum est antiquis hæreticos quidem omnino rejicere: qui se autem absciderunt, qui Schismatici dicuntur, ut qui adhuc sint Ecclesiæ, admittere.* 3º AUG. L. 1. de bapt. c. 1. ait: *Si ergo, qui recessit ab unitate, aliquid aliud agere voluerit, quam quod in unitate perceperit, in eo recedit et disjungitur: quod autem ita vult agere, sicut in unitate agitur, in eo manet atque conjungitur.* Idem. L. cont. Donat. post Coll. c. 20. ait: *Neque enim a populo Dei separamus, quos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem penitentiae locum redigimus: ergo.*

R. ad Arg. N. Ass. Ad ejus prob. 1. *D.* Apostolus in Ecclesia Corinthiorum notat schismata latius dicta et animorum, C. Stricte dicta et opinionum, N. Dissensiones Corinthiorum hic erant circa mensas, locum et tempus, ac socios sive convivæ cœnæ Eucharisticæ et Agaparum, quæ tamen non facerent separationem ab Ecclesiæ unitate, aut contemptum auctoritatis Ecclesiasticæ adferrent.

Ad 2. R. BASILIUS vel dicit schismaticos non reipsa, sed specie et nomine tenus tantum, esse in Ecclesia; quia ibid. asserit, eos post penitentiam recipiendos rursus in Ecclesiam: vel correctus est a Conc. Constantinopolitano I. quod Can. 6. Schismaticos æque ac hæreticos abjicit. Neutiquam vero erroneo Jurii sensui adstipulatur; cum aperte neget, *habere amplius in se gratiam Spiritus eos*, qui se ab Ecclesia sejunxerunt.

Ad 3. R. Textus Aug. prior non prodest, quod dicat in aliquibus haberi conjunctionem; quia ex supra dictis *in his paucis, in quibus non erant mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum*: obest autem, quod dicat, qui recessit ab unitate; quia L. de fid. et Symb. c. 10. ait, eos, qui a charitate fraterna dissentiant, non pertinere ad Ecclesiam *quæ diligit proximum*, sicut hæretici non spectant ad eam *quæ diligit Deum*. Posterior textus recte videtur BELLARMINO corruptus ob contextum, qui exigit, ut legatur cum duplici negatione sic: *Neque enim a populo Dei non separamus.* Permissa autem integritate textus, vel accipi potest *separatio* perpetua, sine spe reditus et salutis; vel *populus Dei* pro numero salvandorum, non autem pro Ecclesia militante; vel textus totus non loquitur de excommunicatione, sed penitentiae impositione.

Inst. 4. Facta omnis ætatis ecclesiastica idem ostendunt. In *Synagoga* enim 1º decem Tribus a tempore Jeroboam erant schismate disjunctæ a reliquis duabus; 2º Pharisei et Sadducei sub finem Legis erant hæresi et secta sejuncti a Judæis cæteris: et tamen omnes pertinebant ad veterem Ecclesiam.

In *Ecclesia Christi nascente* 1º Paulus et Cephas ad Galat. 2. item Paulus et Barnabas Act. 15. discrepabant: 2º Judæi et Gentiles conversi seindebantur ritibus et vitæ usu: nihilominus iidem in eadem Ecclesia erant.

In *Ecclesia adolescente* schisma erat 1º Antiochiæ Meletium inter et Paulinum; 2º tempore Acacii Constantinopolitani et successorum, orientales inter et occidentales; quin tamen Episcopi illi aut populi fuerint extra Ecclesiam.

In *Ecclesia adulta* 1º Sec. 14. pars fidelium Urbano VI. pars Clementi VII. et utriusque successoribus adhærebant; 2º omnes sectæ orientales, præsertim

Ecclesia Græca, his temporibus sunt schismatica; nec tamen extra Ecclesiam fuisse omnes aut esse a quopiam asseruntur.

R. N. Ass. Quoad Synagogam R. ad 1. Decem tribus universim tanquam schismaticas et idololatrias non pertinuisse ad Synagogam, ex historia Regum patet. Sicut tamen Prophetæ alique Israelitæ Deum timentes nec schismatis nec idololatriæ participes erant; sic nec excluderentur ab Ecclesia. Hos communicasse saltem animo et affectu cum Tribubus fidelibus, colligitur ex verbis Elisæi 4. Reg. c. 3. v. 14. Eisdem veræ religionis exercitia obiisse, intelligitur ex 4. Reg. c. 4. v. 23. Quod autem adorationem in templo Hierosolymitano et stata ibidem sacrificia omiserint, excusari forsitan poterant ob gravissimum timorem a regibus idololatriis incussum.

Ad 2. Aliam fuisse sectarum apud Judæos conditionem, quam earum sit apud Christianos, ex eo maxime demonstrat CALMETUS, quod omnes corpori Synagogæ jungerentur, summis Religionis et Reipublicæ muneribus potiti, quamvis moribus et opinionibus a cæteris discrepant. SERARIUS Phariseos ab hæresi excusat, non item Sadducæos, quos proin toleratos duntaxat existimat, sive mali majoris metu, sive timiditate et negligentia.

Quoad Ecclesiam nascentem R. ad 1. Divisio Pauli et Cephæ circa errorem facti et exempli malignitatem; Barnabæ et ejusdem Pauli circa assumendum in peregrinatione et prædicatione socium versabatur: neutra unitatem animorum et doctrinæ solvebat.

Ad 2. R. Judæorum conversorum classis altera, observans quidem legalia, non tamen necessaria autumans, nec schismatica erat, nec gentilium aspernatrix, maxime post declarationem Concilii Hierosolymitani: altera legalium necessitatem et usum urgens, erat schismatica, et tanquam Evangelii hostis atque a Christo aliena traducitur a Paulo, præsertim in ep. ad Galatas.

Quoad Ecclesiam adolescentem R. ad 1. MELETIUM, post pactum de successione superstitis ad fata alterius cum Paulino initum, non mediatam tantum sed immediatam cum DAMASO communionem habuisse, docent tum acta Concilii Aquileiensis an. 381. habiti, quibus pactum confirmatur et communicatio pacis datur; tum Damasi ad orientales epistola, qua perhibetur Antiochenæ Synodi Patres, inter quos, primus Meletius, expositæ a Pontifice doctrinæ subscripsisse. Unde quamvis antea schismaticus fuerit (quod ipsum tamen alii inficiantur), non perstitisse tamen eum in schismate, non tantum modo dicta, sed et ipsius Meletii apud Hieronymum protestatio, atque Ecclesiæ eum inter sanctos colentis testimonium persuadent.

Ad 2. R. Sententiæ FELICIS contra ACACIUM, dum is adhuc viveret, præter Dardaniæ Episcopos quidem non detulerunt reliqui orientales, sive ad valorem anathematis exigentes condemnationem Patriarchæ Constantinopolitani in Concilio generali faciendam, sive Zenonis et Anastasii Acacii patrocinantium furoribus metuentes: unde cum nullo alio ex capite schismatis se reos facerent, gravius nihil contra eosdem a Pontificibus statutum fuit; præsertim cum sub Justini imperio et Hormisdæ Pontificatu ab omnibus Pontificio decreto subscriptum fuerit. Euphemium autem et Macedonium Acacii successores nec hæreticos nec schismaticos fuisse, communis eruditorum sententia, plurimis apud Natal. Alexandrum rationibus firmata, tenet. Eorum nomen diptychis expunctum, quod minoris etiam pænæ genus est, ut

restitueretur; supplicatio populi Constantinopolitani temporibus HORMISDÆ obtinuit.

Quoad Ecclesiam adultam R. ad 1. Neutra pars obedientiæ erat schismatica; quia utraque adhærebat bona fide ei, quem pro legitimo Pontifice habebat: eoque in dubio tum exspectabat universalis Ecclesiæ iudicium circa verum Pontificem; tum nec quoad jus capitis nec quoad unitatem corporis, animo saltem et affectu, errabat. Quod excommunicationes utrinque jactatas attinet; inutiles illæ erant ac vanæ; quia non constabat de legitima auctoritate, qua ferebantur.

Ad 2. R. Plures in Oriente ac inter Græcos revereri summum Pontificem et Ecclesiæ Romanæ uniri, quotidianis experimentis constat: neque omnes, qui hæc unitatis documenta aperta haud præbent, formales schismaticos esse habendos, evincitur ex paritate cum hæreticis materialibus. Reliqui si sine spe salutis dicantur esse extra Ecclesiam, nihil dicitur a veritate hactenus demonstrata, aut a charitate prudenti alienum.

Inst. 3. Nec deest ratio theologica pro eodem. Nam 1^o Excommunicatio est medicina quædam spiritualis, instituta ad excommunicatorum utilitatem; ut ex 2. Thess. 3. v. 14. constat: sed non esset in utilitatem, si ejicerentur extra Ecclesiam: ergo. 2^o Si quis injuste est excommunicatus, potest saltem acta jam pœnitentia esse in Ecclesia ante absolutionem. 3^o Excommunicatus ab Episcopo particulari potest subesse Christo et communicare cum Ecclesia universali: ergo hic saltem non erit extra Ecclesiam.

R. N. Ass. Ad ejus prob. 1. D. m. Si ejicerentur extra Ecclesiam sine potestate ac spe redeundi ad Ecclesiam, C. Si ejicerentur cum hac potestate ac spe, N. Imo finis severitatis hujus est ut confusione hujusmodi humiliati, deposita rebellione et contumacia, redeant ad Ecclesiæ sinum.

Ad 2. D. prius membr. Si quis injuste simul et invalide ac nulliter est excommunicatus, C. Si quis injuste quidem, sed tamen valide est excommunicatus, *subd.* potest habere omnia ad membrum Ecclesiæ quoad animam tale requisita, C. quoad corpus tale, N. Ad salutem quidem sufficit animo esse in Ecclesia, secundum hanc Augustini. L. de ver. relig. c. 6. sententiam: *sæpe etiam sinit divina providentia expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros: quam contumeliam vel injuriam cum patientissime pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines quam vero affectu et quanta sinceritate charitatis Deo servitandum sit. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns.* Nihilominus hujusmodi de corpore Ecclesiæ, seu de Ecclesia, ut hactenus sumpsimus, non esse, confirmatur ex damnatione Quesnellianæ propositionis 91: *Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.* Ex his sequitur *Resp. ad poster. membr.*; nempe excommunicatum pœnitentem etiam ante absolutionem esse animo et affectu, non autem actu et re, in Ecclesia quoad corpus spectata.

Ad 3. N. A. Nisi forte excommunicatio sit invalida, aut saltem impropria; quales in historia subinde occurrunt, ubi Episcopus Episcopo non subdito negabat vel litteras, vel consessum, vel etiam communionem. Falsitatem prioris declarat AUG. L. de Unit. Eccl. c. 4. scribens: *Quicumque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, sed unitati Ecclesiæ non communicant,*

non sunt in Ecclesia: quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, dissentiunt: Posterioris autem CYPR. L. 4. ep. 9. Frustra sibi blandiuntur ii, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt; cum Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa et coherentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata.

92. *Observa. I.* hisdem fere argumentis, quæ pro reprobis et peccatoribus in Ecclesia retinendis supra pugnavimus, probatur etiam hæreticos et schismaticos occultos atque excommunicatos non denuntiari posse ad Ecclesiam. Unde quamvis etiam Catholicorum quidam, sed forsitan quoad modum loquendi duntaxat, aliter enuntiant, eosdem proxima assertione tacite exceptos volumus, et facile inter Ecclesie membra numeramus; præsertim cum in hoc sequamur idioma Patrum, apud Bellar. L. 3. de Eccl. milit. c. 10. uberrimè laudatorum.

93. *Observa. II.* Quod de fide ad membrum Ecclesie requisita, ex Scripturis, Conc. Lateranensi et definitione NICOLAI in contrarium afferitur, intelligendum est; non de interna, sed externa, seu professione fidei: sicut et dicta quædam Patrum contraria opposita de hæreticis manifestis, non occultis, accipiuntur. Haud absimili ex capite etiam non baptizatos adnumeramus Ecclesie membris, modo putentur baptizati, et Christianos se profiteantur, secuti in hac re iudicium Dionysii Alex. ap. Euseb. L. 7. Hist. Eccl. c. 8. et Innoc. III. Cap. Apostolicam. de Presb. non baptizato. Quamvis enim baptismus sit janua ad Ecclesiam, nullusque nisi per eam sinatur ingredi; tamen sicut si quis via alia irreperit in domum, in eadem re ipsa est, sic et non baptizatus aliunde ingressus in Ecclesiam, inesse in ea censendus est. Exinde tamen Ecclesia compelli nequit cœtus hæreticorum et infidelium hypocritarum; cum denominationes a potiori sumendas constet, et corpus humanum etiamnum vivum dicatur, licet unum aut alterum membrum mortuum aut aridum habeat. Ex ratione contraria Catechumenos voto duntaxat ac spe, non vero re et actu in Ecclesia esse tenemus; et siquidem aliter aliquando loquatur Patrum non nemo, distinctione memorata est exponendus.

ARTICULUS III.

An et per quas notas discerni possit vera Christi Ecclesia?

94. *Nota I.* Non esse visibilem Ecclesiam, ac proin nec dari signa, notas et characteres sensibiles, quibus illa discernatur a cœtibus, qui se falso Ecclesiam Christi dicunt, ex desperatione producendæ communitatis secum in dogmatibus conspirantis, docuerunt LUTHERUS in L. de abrog. Missa p. 4. et CALVIN. tum in Præf. ad Inst. tum L. 4. Inst. c. 1. §. 7. A seipsis prior in L. de Conc. et alter. loc. post. citato, aut a Magistris saltem eorum discipuli Melancthon in Conf. et Apol. Brentius, Molinaeus, et alii dissentiant; ubi vel duas vel plures, ad has tamen facile reducendas afferunt notas pro probanda vera Christi Ecclesia, veritatem scilicet doctrinæ, seu sinceram verbi Dei prædicationem, et legitimam sacramentorum administrationem ac

usum. In neutro capite conveniunt cum Orthodoxis, qui et Ecclesiam sensibus corporeis, cum iudicio et certa persuasione quod sit vera Christi Ecclesia, perceptibilem asserunt; et pro hac perceptione distinctas ab illis nominatis notas constituunt.

Quamvis autem has non requirant tales, ut Ecclesiam in se evidentem, sed tantum evidenter credibilem, faciant; itemque nunc alias esse permittant; quam quæ fuerant ab exordio Ecclesie; ubi S. Spiritus sensibilibus descendebat in fideles et confirmatos, diffusio autem per universum orbem et successio Pastorum continuata haberi non poterat, quantum nunc priore absente altera præsto est; dotes tamen, non quascumque sed singulares et certis conditionibus vestitas admittunt. Exigunt enim primo ut notiores sint re quam significant, et a qua distinguuntur; deinde ut sint quodammodo sensibiles, omnibus obviae et cognitu faciles; denique ut sint propriae et non communes pluribus, saltem simul sumptæ.

95. *Nota II.* Præterea vero licet in carum numero describendo nec antiquiores nec recentiores omnino consonent; cum S. HIER. in Dial. cont. Lucifer. duas, Vincent. Lirinensis in Commun. tres, AUG. in L. cont. ep. fundam. c. 4. sex, et alii postea pauciores, alii plures, inter quos Bellarm. quindecim, enumerent: facile tamen apparet, in paucioribus contineri et in pluribus præcipue efferi illas quatuor, communiter a Theologis usurpatas, nempe unitatem, sanctitatem, catholicitatem, et Apostolicitatem. Porro cum et harum possit esse multiplex sensus, diversa significandi vis, et ad varios terminos relatio, hujus diversitatis ratione habita, sub ea duntaxat acceptione has quatuor huc proferunt, sub qua enumeratas nuper condiciones possident. Cum quibus

96. *Dico I.* Vera Christi Ecclesia visibilis est, et discerni potest.

Prob. auctoritate 1º PROPHE TARUM. Isa. c. 2. v. 2. ait: *Erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes: per quem montem Hier. in h. l. intelligit Ecclesiam: Ibid. 61. v. 8. Germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoscent illos; quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus; caput hoc, cujus initium Luc. 4. Christus sibi attribuit, totum est de Christi Ecclesia: Dan. 2. v. 44. dicitur: In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur: comminet autem et consumet universa regna hæc; et ipsum stabit in æternum; consentiunt autem Interpretes, hoc regno significari Ecclesiam Christi: Ps. 18. v. 6. In sole posuit tabernaculum suum; Aug. Tr. 2. in ep. Joan. et Tr. de Cant. nov. c. 3. per solem et tabernaculum intelligit in manifesto positam Ecclesiam.*

2º *CHRISTI*, qui juxta Aug. L. 2. cont. Cresc. c. 36., Ecclesiam, Matth. 3. v. 15. comparat civitati supra montem positæ, et Matth. 16. v. 18. arci supra petram edificatæ; adversus quam portæ inferi non prævalent; Matth. 18. v. 17. fratrem incorrigibilem jubet denunciari Ecclesie, istamquæ audiri.

3º *APOSTOLORUM*; inter quos Paulus Act. 20. v. 28. dicit positos esse Episcopos, ut regant Ecclesiam Dei, et ad Eph. 4. v. 12. datos esse pastores et doctores ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi;